

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARUM

Disquisitio L.

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente

CHRISTOPHORO GERBERO

Laubâ-Lusato.

Dominica XIX. post Trinitatis.

A. O. R. cl. 1703. III.



HALLIS SAXONUM

*Prelo Hæredum Melchioris Oel-
schlegelij*

ANALYSIS

EVANGELII
DOMINICAE

CHRISTIANO

RECTOR

HONORABILIS



PROVINCIAE

RECTOR

PROVINCIAE

RECTOR



ANALYSIS

EVANGELII

DOMINICA XIX. POST TRI-
NITATIS.*Matth. 9. c. à vers. 1. usq. ad 8.*

ANTELOQUIUM.



*Rca Dei 2. Sam. cap. 6.
v. 1. per triginta millia ho-
minum ducta, domū Obed-
Edom mirabiliter locuple-
tavit v. 11. Jesus N. Testa-
menti arca è judæa in Ca-*

*pernaumiticam domum veniens, benedictio-
nibus illam replet, dum predicat in ea, dum
peccata dimittit, dum sanat, uti pluribus in
textu Evangelico declaratur.*

THESIS I.

*Habetur enim in eodem partim mi-
raculum, ubi circumstantia est, navigatio.
v. 1. In quo antecedens, ubi tempus: & in-
gressus navigium. Illud ipsum nimirum, quo
paulo ante in regionem Gergesenorum vectus
fuerat, dum nimirum à Gergesenis, ut à sinibus*

Q 9

ipforum

ipforum discederet, rogatus. Hæc ergo imporsunitate Dominus motus iterum ingressus est navem, ut qui noluit sanctum dare canibus Matth. 10, 6. Ut discamus multos in mundo esse Epicuri de grege porcos, qui malunt sues curare, quàm suos à Dæmonibus liberari. Et qui non recipiunt, sed eiciunt Christum.

II. Consequens, ab effectu, respectu modi: trajecit. Id est, per lacum Genesareth transnavigavit. Ut discamus ordinaria media à Deo destinata, ubi ad manus sunt, esse adhibenda, nec temerè vitam periculis obficiendam. Unde Hieronym. in hom. hujus Evangelii quærit? Nonne hic est qui fugatis fluctibus maris profunda nudavit, ut Israeliticus populus inter stupentes undas sicco pede velut montium concava transiret? Nonne ipse est, qui Petri pedibus marinos vortices inclinavit, ut tunc liquidum humanis gressibus solidum præberet obsequium? Et quid est, quod ipse sibi maris sic denegat servitutem, ut brevissimi lacus transitum sub mercede nautica transfretaret? sed quid mirum, fratres? Christus venit suscipere infirmitates nostras, & sua nobis conferre medicamina sanitatis, quod medicus, qui non fert infirmitates curare nescit, & qui nõ fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem. 3. Et

3. Et respectu termini seu loci: adve-
nit in civitatem suam. Per quam hoc loco, uti
Marcus expresse ponit c. 2, 1. Capernaum in-
telligitur; siquidem rediit in locum, a quo exie-
rat; exierat autem ex Capernaumo; & quia
Marcus asserit Dominum fuisse juxta mare,
ubi Capernaum sita. Non quidem est ejus ci-
vitas ratione originis, quia Berthehem eum tu-
lit; neq; ratione educationis, quia Nazareth
ipsum educavit; neq; ratione domini; sed ra-
tione domicilii & ministerii, quia inibi habita-
vit, uti Chrylost. hom. 30. in Matth. expli-
cavit ex Joh. 2, 12. Luc. 4, 31. legitur habuis-
se domum conductitiam Matth. 4, 17. pro qua
censum numeravit Matth. 17, 27. multosq;
inibi amicos, ut Jairum in choro Matth. 9, 25.
Regulum in thoro Joh. 4, 50. Centurionem in
foro Matth. 8, 13. Ut discamus vitam civilem
Deo placere. Quin & inibi predicationem
suam inchoavit Matt. 4, 17. & miraculis con-
cionibusq; suis usq; in caelum extulit Matth.
11, 23. Creator enim rerum orbis Dominus, scri-
bit Hieronym. d. l. cepit humanam habere pa-
triam, cepit Judaica civitatis esse civis, & paren-
tes cepit habere parentum omnium parens, ut
invitaret amor, attraheret charitas, vinceret
affectio, suaderet humanitas, quos damnatio

Q 9 2 fuga-

fugarat, metus disperserat, vis potestatis exte-
ros fecerat. Gloria vero est magna, propterea
urbis istius sed tamdiu duravit ea, quamdiu
Christum habuit civem; sic & Hierosolyma
quamdiu cultum habuit civiliorem, tamdiu
fuit civitas Dei, Psalm. 87, 3. civitas Domini
Psalm. 48, 9. civitas magni regis Matth. 5, 25.
ubi Deus focum & ignem suum habuit Esa. 31,
ult. sed ubi Christum non recepit, sed eiecit, non
vocat suam, sed inquit, vestra urbs, vestra do-
mus Matth. 23, 38. sic etiam Capernaum adeo
exaltata, in infernum usq; detrusa propter in-
gratitudinem Matth. 11, 23. Si hoc igitur in vi-
ridi ligno, quid fiet in arido Luc. 23, 31. nisi pe-
nitentiam egerimus? Luc. 13, 5.

4. Et ad pedes Christi paralytici spi-
ritualis sanatio. v. 2. In quo factum, ubi par-
ticula attentionis praemittitur: Et ecce
Christus, habet Hieronym. in humanis labi-
bus divina mysteria, & in rebus visibilibus in-
visibilia exercuit negotia, eaq; ut observaren-
tur, attentio poscitur.

5. Et declaratur in genere, per mo-
dum: adduxerunt illi. Seu portarunt, ut in
specie exprimit Lucas: quia ipse ire non pote-
rat; & propter multitudinem, uti habet Mar-
cus c. 2, 2. intrare non nequibat. Ideoq; tectum

conscendant & detegunt, simulq; paralyticum
ante Jesu pedes demittunt. Ut discamus proxi-
mo in necessitatis casu succurrere. Fecit id Re-
becca Gen. 27, 14. Joseph Gen. 48, 13. Hanna
Tob. 2, 19. amici Hiobis Job. 2, 11. & preci-
pitur apud Sirac. 7, 39. Inde Gregorius hom.
13. in Ezechielem inquit: lapis lapidem por-
tat, quia lapis super lapidem ponitur. Et quia
portat alterum ab altero portatur. Si ergo vi-
deris, monet Chrys. hom. 11. pauperem, non
pertranseas, sed statim cogita quis sis, si in ejus
loco esses, quidnam velles omnes facere.

6. Et in specie, quoad objectum: pa-
ralyticum. Qui adeo nervis resolutus, ut nul-
lo corporis membro rite fungi posset. Est enim
paralysis talis morbus, quo nervi & muscoli, si-
ne lesione tamen principum facultatum, resol-
vuntur, uti habet Galenus de methodo
med. lib. 2. cap. 2. Et Celsus lib. 3. cap. 27.
Estq; imago & typus nostrae naturae corruptae:
nam peccatum, inquit Chrysost. lib. 2. in
Matth. gravissima paralysis est, nec paralysis
solum, sed paralyti etiam pejus dum aequae per-
turbat, aequae necat.

7. Et subiectum: in lecto decumben-
tem. Quippe ipse incedere non poterat, propter
vim morbi. Unde Galenus paralytin nominat

παρεσιω & ἀποπληξίαν a contusione, dum
 membra velut conusa & nervi resoluti. Ut
 discamus vitam hanc nostram esse variis cata-
 mitibus & morbis obnoxiam, uti Siracid. 41.
 pluribus depingit: interim morbus hic corporis
 medicina est spiritualis; siquidem alias ad
 Christum non venisset. Ergo felix est qui va-
 pulat, ait Theophyl. in epist. ad amicum
 ægrotum, ubi amoris est plaga.

8. Et dictum, cujus impulsiva causa;
 cumque vidisset Jesus fidem illorum. Tum
 paralytici ipsius precipue, cum ipsorum etiam
 portantium, uti Chrysoft. homil. 30. super
 Matth. recte statuit: alias enim Christus non
 vocasset ipsum filium suum: ut ita per Syneed.
 non sit excludendus paralyticus: si enim non
 credidisset in illum, ad Christum se portari no-
 sivisset, habet Chrysoft. hom. 30. in Matth.
 & Theophyl. in Marc. cap. 2. Interim etiam
 fides portantium profuit, quoad bona corpora-
 lia, quo respicit admonitio Jac. 5, 14. Sic Abra-
 ham intercedebat pro Sodomitis Gen. 18, 32.
 Loth pro Zoar Gen. 19, 20. Moyses pro Israeli-
 tis Exod. 32, 11. Centurio pro servo Matth. 8, 5.
 Regulus pro filio Joh. 4, 46. Cananea pro filia
 Matth. 15, 22. Jairus pro filiola Matth. 9, 18.
 Sanctorum enim in hac vita deprecatio est

commune omnium morborum remedium, ait

Theodoretus in historiis S. Patrum cap. 16.

Quoad spiritualia verò absolute non prodest fi-
des aliena, quia iustus sua fide vivet, Rom. 1,

17. mediata tamen suis precibus homines pii ut

conferantur aliis & prebeat fides in ipsis,

vel inchoata augeatur, vel corroborata perfi-

ciatur, impetrare possunt. Ita Christus pro Pe-

tro Luc. 22, 32. Stephanus pro lapidantibus

Act. 7, 60. Quia autem Christus vidit fidem

illorum, rectè colligitur ipsum esse omniscium,

& verum Deum. Unde Damascenus inquit

orthodoxæ fidei lib. 2. cap. 22. Etsi Domini

anima secundum se natura erat ignorantis, at-

tamen secundum hypostasim unita verbo Deo,

omnium cognitionem habuit, propter unionem

hypostaticam. Sic ergò videt afflictiones nostras

Psal. 10, 13. gemitus nostros Exod. 14, 10. sicut

Israelis Gen. 16, 7. famem Elie, 1. Reg. 19, 5.

preces & lachrymas Tobie Tob. 3, 1.

9. Et forma, quoad objectum: dixit

paralytico. Ergo respexit etiam ipsius fidem,

& non tantum baculorū: aliàs enim ad ipsum

non dixisset, sed ad baculos. Fides verò est fidu-

cia seu *fides* quæ excludit dubia, tenet cer-

ta, promissa consignat, ait Bernhardus lib. 5.

de consideratione.

Q9 4

10. Et

Isaiah

IOUER quoad scopum, in genere i bo-
no esto animo fili. *Que verba Christi appo-
nuntur dubitationi, seu male ob peccata con-
scientia. Ideoq; in spem futura sanationis fili-
um appellat. Sed o mira humilitas, habet
Hieronym. despectum & debilem hominem,
& nervorum omnium dissolutum, solum vacat,
quem sacerdotes non dignabantur attingere.*

II. In specie ponit confidentia ratio-
nem à causa procreante : remittuntur tibi
peccata tua. Ubi verbum Gracum est præterit-
um Atticum pro à *Πεῖρται*. Atq; ita Christus
verus medicus non superficie tenus vult cura-
re sed prius fontem & causam morbi removeret,
& postea corporaliter sanat. Ut demonstraret
propter peccata præterita esse propulsandam
infirmiorem. Et animam prius censuit esse
sanandam, tum demum corpori dignatus dare
salutem, habet Augustinus de Symb. Cate-
chumenon lib. 2. cap. 10. Quod & paralyti-
co necessarium fuit, inquit Chrysostr. hom.
30. in Matth. potuisset quidem solo verbo pa-
ralyticum sanare, at noluit statim corpus iuva-
re, ut ab inimicis occasio sibi traderetur. Ut
discamus remissionem peccatorum ab ipso de-
pendere, & peccata esse prius remittenda, quia
morbus effectus est peccati, quam sanandum.

od. 12. Partim habetur iudicium, quod
 vel sibi, ubi mala de Christo cogita-
 tio. 13. In quo per profopociam imper-
 fectam, tum indefinitè, quoad causam: &
 ecce quidam è scribis. *Qui aliàs Christo in-
 fidiabantur, & prae reliquis videri sapientes vo-
 lebant. Ut discamus non omnes semper, quam-
 vis sint docti & videri velint, esse bonos ac
 sinceros.*
 idit 13. Definitè, tum modus: dicebant in-
 ira se. *Hoc est, cogitabant, Marc. 2, 6.
 Luc. 5, 21. Cogitationes enim sunt quadam cor-
 dis locutiones, habet August. lib. 15. de Trini-
 tate cap. 10. nam etsi verba non sonent, in cor-
 de suo dicit utiq; qui quid cogitat.*
 14. Tum effectus: hic blasphematur. *Ita
 ipse Christū suo nomine dignantur, nec ipsum
 prae Messia cognoscere volunt. Marcus & Lu-
 cas causam allegant, quare blasphemias loqui
 Christum ipsi asserant, quia remisit peccata;
 quod solus Deus, ut colligitur ex Mich. 7, 18.
 Eia. 42, 25. Leges verò statuūt, quo blasphemans
 Deum morte puniatur Levit. 24, 14. Ut discam-
 us calumniam omnia in pejus detorquere.*
 15. Et Christi defensor, ubi malarum
 cogitationum improbatio. v. 4. In quo an-
 tecedens: & cum vidisset Jesus cogitatio-

nes illorum. Atq; ita aliud etiam dedit indicium se Deum esse verum; nempe corda eorum cognoscens: corda enim hominum cognoscere solus Deus est, ex Jerem. 17, 10. habet Theophyl. in Marc. 21, 8. Et quod si, inquit Novatianus de Trinit. cap. 13. cum nullius sit nisi Dei, cordis secreta nosse, Christus secreta conspiciat cordis: quod si, cum nulli sit, nisi Dei, peccata dimittere, idem Christus peccata dimittit. Merito itaq; Deus est Christus. Considera ergo ait Basil. conc. 8. in Psalm. 32. altum spectatorem, considera ex supernis humanas res inspicientem, quocunq; tandem i veris, quicquid egeris, sive in tenebris, sive in die, inspectantem Domini habes oculum ex parato habitaculo suo. Quandoquidem igitur cordium opifex est, propterea intelligit & omnia opera nostra: & sane, si hac una recordatio assidua esset, contra omnia vitia sufficiens remedium esse posset, habet idem. Nos nisi loquentem audire non possumus; apud Deum loquuntur non verba, sed cogitationes, Ambros. ait de Caine & Abele lib. 1. c. 9.

16. Consequens, per interrogationem, ab effectu: quare cogitatis mala. Id est, cur vos optime factum per blasphemias esse factum

vos

vos cogitatis? nam & cogitationes coram oculis
 Dei sunt peccata Esa. 1, 16. Jerem. 4, 14. Neq;
 enim, scribit Tertullianus lib. de pœnitent.
 cap. 3. si mediocritas humana factis solum ju-
 dicat, quia voluntatis latebris par non est; id-
 circo crimina ejus etiam sub Deo negligamus?
 Deus in omnia sufficit, nihil à conspectu ejus re-
 notum, dissimulator & prevaricator per spica-
 cia sua non est. Optimè Hieron. in Psal. 114.
 nolo cogitare mala & quasi invitus & capti-
 vus in malam cogitationem trahor. Sed quo-
 niam in mea potestate non est, aut cogitare, aut
 non cogitare, quæ mala sunt: propterea dico,
 aliena quidem sunt, quæ veniunt in cor meum.
 Aliena quidem sunt peccata, sed quia suscipio
 ea, dico in alienis, parce mihi servo tuo. Ipsum
 autem imitemur, habet Chrysoft. hom. 30, in
 Matth. & cœteros ad virtutem quieto animo
 admonemus, nulla ira, nulla ferocitate mo-
 veamur. Opusq; charitatis est, non insurgere
 in malevolos, nec viribus nostris uti, ne impru-
 dentia illorum redarguta majore odio cumu-
 letur Cyrill. lib. 3, cap. 11, in Joh.

17. Quoad subjectum: in cordibus
 vestris. Ergo non sufficit dicere volui, nec ta-
 men feci, quia nec velle debes, habet Tertull.
 lib.

lib de pœnitentia cap. 3. nam & tacite cogitationes male, apud Deum sunt peccata.

18. Et sanatio, ubi conjunctim remissionis & sanationis collatio v. 5. In quo in genere ex comparatione imparium per interrogacionem, quæ habet vim negativam, utrum enim facilius est dicere? Loquuntur nempè ex hominum opinione, qui multò facilius esse putant remittere peccata, quàm miracula edere, Theophyl. in Marc. 2. Pharisei putabant difficile corpus sanare, facilis verò animam, eò quod occulta esset sanatio.

19. in specie, de spirituali: remittuntur tibi peccata. Quod sanè gravius est, licet sensui videatur facilius. Atq; fortassis, ait Theophyl. in Marc. c. 2. talia cogitabant: Ecce hic impostor ut evadat, ne curet corpus quod in manifesto, pretendit quod curet animam, quæ in occulto, omninò enim si posset sanare corpus, non confugeret ad id, quod ignoramus.

20. Et de corporali: an dicere, surge & ambula. Quod equè difficile, sed non tamen ita, siquidem etiam alii sanarunt sancti, licet nò potestate propria, tamè in nomine Jesu Act. 3, 12. utrumq; tamen eius, qui est omnipotens, si per se præstet.

21. Et præstatio sanationis v. 5. In quo
 causa finalis per affirmationem: ut autem
 sciatis. *Qui arbitrabantur blasphemum esse
 remittere peccata, asseverat ipsos revera scire
 debere se utrumq; posse. Ut discamus hostibus
 potissimum subdolis & calumniantibus esse
 respondendum quò cognoscant.*

22. Et materialis, circa remissionem,
 quoad causam efficientem respectu prædi-
 cati: quod potestatem habeat: *Non nu-
 dam, sed magnam, imò infinitam, id enim in-
 telligitur per ἐξουσίαν.*

23. Respectu subjecti: Filius hominis.
*Id est, quatenus homo propter hypostaticam
 unionem, qua caro domini, uti loquitur Da-
 mascenus orthodoxæ lib. 3. c. 17. fidei lo-
 cupletata est divinis actionibus. Dicit enim
 filius hominis. Ideoq; secundum humanam na-
 turam est intelligendum, uti & scriptura ab-
 stracta vocabula adhibet, que ipsam assumptã
 naturam in unione significet, ut sanguis Chri-
 sti 1. Joh. 1, 7. Act. 20, 28. 1. Petr. 1, 19.*

24. Et effectus, ubi præmittitur locus:
 in terra. *Ut intelligatur fieri in statu humili-
 ationis & conversationis. Et quia hic est quam
 poscimus, remissio, ubi est omnis remissio pecca-
 torum August. Ench. ad Laurent. c. 115. In fu-
 tur*

turo autem nihil aliud erit, nisi remuneratio aut condemnatio habet August. in qq. ex utroque Testam. quest. 102.

25. Et exponitur modus: remittendi peccata. Subintellige per Ellipsin ex tempore. Sic remissio peccatorum soli Deo, ejusq. filio competit. Et quia si dominus tantum de potestatis sua probatione curavit, uti traduceret cogitatus, & ita imperaret sanitatem, ne non crederetur, posse delicta remittere; non licet mihi eandem potestatem inquit Tertuli. de pudicit. c. 22. in alio sine iisdem probationibus credere. Etsi solus nos universorum Dominus liberat à delictis, & id non convenit alteri; Christus verò hoc cum potestate DEO congrua largitur, quomodo non esset Deus? habet Cyrill. in lib. de recta fide ad reginas.

26. Respectu sanationis, quoad materiam seu objectum: tunc dixit paralytico. Ut probaret se etiam hoc prestare posse, & solo nutu ac verbo Dei sanare. Deus enim plus sepe vult dare quàm nos accipere, plus vult misereri quàm nos à miseria liberari, inquit Augustin. serm. 29. de verbis Dom. Per paralyticum etiam potest intelligi anima dissoluta membris, id est, bonis operibus, uti habet August. lib. 2. quest. Evang. cap. 4.

27. Et

27. Et forma : per Apostrophem in
 genete : surge. *Verbum est omnipotentia,*
quod ipsi soli competit : sed & tu surge, inquit
 Bernhard. serm. de quatuor modis orandi.
desiderio supernorum.

27. In specie, quoad antecedens: tolle
 tuum lectum. *Quasi diceret lectus fuit indi-*
cium infirmitatis tuae, sed iterum sit initium
salutis tuae ; lectus te portavit cum infirmus
eras, ut ostenderes te esse infirmum, porta te
portantem, ut ait Taurin. Et porta rursus sar-
cinam delictorum tuorum, ait Aug. in symb.
 catechet. cap. 10. *Hic lectus qui tolli jubetur,*
 ait Ambros. lib. 5. in Luc. c. 5. *quid est aliud*
nisi quia jubetur humanum corpus tolli ? In
quo prius languidi jacebamus servientes desi-
deriis & concupiscentiis nostris ; nunc porta-
mus illud cum spiritui obedire cogimur, &
mortuum est propter peccata habet Bernh. in-
 fer. 4. de passione Dom. *Quin non in eo tam*
admirationis aliquid erat, ut confracti lectuli
portaret ligneam cratem, quam ut resoluti
corporis membra & debilitate confracti velut
animasue necessarium lectulum ipse portavit,
 habet Ambros. serm. 28.

28. Et consequens ; & abi in domum
 tuam. *Atque ita dimittit eum cum sanasset in*
 domum

014
domum suam: partim ut humilitatem ostenderet, quod eam non retinuerit, partim ne multi non signum verum, sed phantasma factum dicere auderent: qui enim morbi testes erant, hos & sanitaris testes esse volebat, habet Chrysostr. hom. 30. in Matth. Sicq; non solum levare lectum, sed etiam domum repetere suam, hoc est, ad paradysum redire censetur. Ea enim est vera domus, qua hominem prima suscepit, ait Ambros. in Luc. c. 5.

30. Et paralytici curatio. v. 7. In quo antecedens effectus: & ille surrexit. Nee enim mora ulla sanitati intervenit: unum ditorum remediorumq; momentum est, habet Ambros. uti etiam Marcus & Lucas addunt, statim factum esse Luc. 5, 25.

30. Consequens; abiitque in domum suam. Pro ut iusserat Deus: & quidem in conspectu omnium uti Marcus ait v. 12. Ut disamus dictum factum esse apud Deum, ambulamusq; in domum nostram, in matrem omnium, vel quam habemus a Deo non manu factam in caelis, ait Beroh. serm. in ser. 4. hebdom. pœnos.

31. Tum est iudicium dextrum, ubi populi admirantis celebratio. v. 8. In quo tum admiratio, quoad subiectum: Turbae verò

verò que videbant, spectatores qui antea paralytico transitum ad Christum prabere noluerant, iudicabant enim morbum eius plane desperatum esse. De Phariseis & scribis non ita legitur. Ut discamus Deum ubiq; suos habere, licet non omnes, tamen quosdam, vel ex turba etiam, fideles fieri.

32. Prædicatum: admiratæ sunt. Maximum enim omnium aestimabant, ob improvisam paralytici restitutionem. Ut discamus etiam mirari Dei miracula.

33. Et glorificatio, ubi objectum: & glorificaverunt eum. Laudem ipsi omnipotentie & immerse bonitati tribuerunt. Ut discamus etiam Deum ob miracula glorificari & laudare, quia Dei opera sunt laudanda.

34. Et ratio ab effectu: qui dedit potestatem talem hominibus. Primario Christo filio suo, & secundario etiam Apostolis suis Matth. 10, 1. Nam vult dominus plurimum posse discipulos suos, vult à servulis suis ea fieri in nomine suo, quæ faciebat ipse positus in terris, ait Ambros. l. 1. de pœnitent. c. 7.

Rr

No-

Confide remissa sunt tibi peccata.) Considera Christum non rogatum primò remittere peccata; ut discas prius in te aliisq; anima querere, quàm corporis sanitatem.

II.

Surge & ambula.) Considera Christum factò demonstrasse verbum; ut discas maledicos non posse melius aliis armis refutari, quàm boni operis exemplo.

III.

Vade in domum tuam.) Considera non tantùm surgendum & lecturam tollendam, sed vadendum etiam; ut discas operum honorum exercitio de virtute in virtutem proficere, donec pervenias ad domum, id est, ad patriam cœlestem.

CASUS I.

An cogitationis pœnam quis pati debeat?

Non

Non videtur: 1. Quia non legitur in
sacris eas punitas. Unde quidem
Christus reprehendit verbis, sed non punit
pœnis.

2. Jura expressè habent l. 18. ff. de
pœnis & in c. cogitationes. de pœni-
tent. dist. 1. Menoch. arbitr. qq. lib. 2. c.
360. n. 2.

3. Etiam in crimine læsa Majestatis
l. quisquis C. ad l. Juliam Majestatis.

4. Lex de occultis non judicat c.
sicut de simonia. Nec primos homo mo-
tus in potestate sua habet. Gell. lib. 7. c.
3. N. A. facta, non voluntates vocantur in-
judicia.

Contra: 1. Quòd malum illud pu-
niendum. At cogitationes male Matth.
5, 28. 1. Corinth. 11, 5. 1. Joh. 2, 16.

2. Quia cogitantes extrahere ali-
quem invitum ab Ecclesia puniendi pœna
mortis l. præfenti C. qui ad Ecclesiam
confug. Bald. conf. 443. Coras. lib. 5.

Miscell. Juris c. 23. Didac. variar. resol.
lib. 2. c. ult.

Quando voluntas hominis affen-
titur plenè cogitatio punitur, quia peccat
contra Deum mortaliter, Felin. in tract.
quando puniatur conatus n. 4. Saly-
detin. h. 5. qui cum toto conatu in
peccat. C. ad l. Cornel. de sicariis. s. nod

In iure canonico c. sicut enim. 32. q.
5. & c. homicid. de poenit. dist. 1.

Unde crimen haereseos cogitatio,
si recognoscitur, punitur Bald. in l. si quis
non dicam rapere. coll. 2. opp. 1. C. de
Episc. & Cler. Clarus lib. 5. sent. juris.
s. fin. q. 91. quia haeresis sola animi pna
opinionem perficitur. Guiland. tract. de
haeret. q. 2. qui malè cogitat neminem
prater se laedit Albericus in rubr. de le-
gibus n. 6. si quis ad hostes voluerit iras
fugere, licet non fecerit l. 3. ff. de re mili-
tari in atrocioribus delictis l. hi qui C. de
Apost. punitur.

Ad contraria: 1. Imò contrarium
siquidem verbis reprehensi & postmodum
penis.

poenis & uti patet ex codice Biblico.

2. Fall. caus. Si non innotescat, quod
 sceleris innotuit, æque, uti de crimine lese
 Majestatis & heresios patet. *in q. utis*
 B. 1113. Pet. princ. nam in crimine lese
 Majestatis, uti habet Archidiaconus in
 c. si qui. c. lege. q. 6. Afflict. in c. 1. §.
 bona. n. 23. quæ sint regal. potissimum
 sp. conatus accesserit.

Ad 4 ordinariè quidem, sed extra-
 ordinariè etiam, uti supra annotatum. Et
 non sunt primi motus hominis in potestate
 nisi accedat motuum istorum perseveran-
 tia. ut Menoch. q. 2, lib. 2. cas. 306. n. 5.
 Faun. q. 21. de homicid. Unde facta
 majores nostri ad consilia dirigebant. Se-
 neca sufficit ad poenam meditari punien-
 di lib. 5. de benef. cap. 14. Hinc ut animo
 possessio retinetur. l. 1. §. 21. ff. de acqui-
 rind. ita etiam crimen committitur Go-
 thofr. in notis ad l. 18. ff. de poenit. eti-
 am delinquit qui oculos delicto præbet
 Novell. 123. c. 10. l. 34. §. 1. C. de Episc.
 & Cler. *in q. utis*

CASUS II.

An quis se obligare possit pro
aliis in negotiis fidei

Non videtur: 1. Quia justus sua fide
vivit Rom. 1, 17. Et alias scriptura
inquit: credidi propter quod locutus sum
Psalm. 116, 10. Sine mandato constat ex l.
stipul. 17. & 108, ff. de V. O. quempiam
se obligare posse.

3. Est res incerta dum nescimus, an
sit approbatus alius, an secus.

Contra: 1. respexit Christus fidem eo-
rum, non solum portati, sed & portantium
Matth. 9, 2.

2. Tutor se pro pupillo obligare po-
test l. tutor. 16. in ff. de pignor. actione,
quia est in administratione vice domini
l. 27, ff. de administra. & pericul. tutor.

3. In alterius animam quis jurare
potest. Etiam pro jam natus habentur qui
in utero sunt si de commodo queritur l. 26.
ff. de statu hom.


Ad

Ad contraria: 1. Fall. causa: nam aliud de salute ipsa, aliud de mediis salutis, aliud de applicatione, aliud de mediorum oblatione. Patrini sese obligant non imputativè, sed declarativè quod credant sacramentum fidei, quod baptismus, in baptisato operetur, quodq; illos esse regeneratos non dubitent; quodq; Deum cum ipsis in Baptismo fœdus inierit, & sint ad faciendum omnia secundum fœdus obligati, uti tutor pupillum obligat.

Ad 2. Fall. causa. Aliud est in mandatis, aliud in pupillis. Aliàs & sicut tutores constituuntur vel ex testamento, vel ab intestato per magistratum, ita susceptores auctoritas Ecclesie constituit; & à parentib; ipsi rogantur & sic quasi testamento constituuntur, quò in se officium hoc suscipiant. Ideoq; etiam habent mandatum, si non à persona ipsa, cujus loco respondent, tamen eius, in cujus potestate sunt.

Ad 3. Fall. Cons. & Accid. Ne ergò fias propterea sunt tales fideijussores. Et sicut
 tutor

§12
tutor potest se obligare propter pupilli non
bona, principaliter siquidē tutor datur per-
sona l. 14. ff. de testā. tutel. sed ob personā:
sic & susceptor tutor spiritualis obligare po-
test parvulū in his, quae sunt necessaria ad
salutem. Et uti infans quidē emphyteusim
accipere non potest, tamen permittitur
tunc post legitimam aetatem vel curatore
interueniente etiam ante, hunc contractū
approbare vel invito domino directo, qui
perindē ex contractu obligatur atq; si ab
initio legitimē celebratus fuisset arg. l. Ju-
lianus 13. §. si quis 29. ff. de act. empt.
& vendit. l. si pupillus 9. in princip. ff.
ff. de Novation. & deleg. Halbritter.
tract. de iure emphyt. c. 2. in fine. potest
infans possessionem acquirere l. 32. §.
quamvis ff. de acquirend. vel amitt.
possess. l. 3. C. de acquir. vel retinend.
possess. Etiam infans per servum sti-
pulari potest rem pupill. salvam fore quia
est in propria substantia acquirenda l. 2. &
6. ff. rem pupilli.



Podromus est mortis morbus; quandoq;
gravamur

De corio nostro ludere Morta solet.
In primis nescit Medicus si tollere morbum,
Qualis, quum nervis membra soluta iacent.
Ast ingressus ubi navem trajecit & urbem
Jesús in propriam venit ut ille suam.
In lecto membris apportavére solutum,
Cui Jesús: fidas! noxa remissa Tibi!
Ista tamē quidam scribarum mente volutant:
Hic na blasphema talia voce refert.
Has verò cum cognovisset, dixit Iesus
Cur animis vestris volvitis ista mala?
Qua magis res facilis? tibi sunt peccata remissa
Dicere; num tali dicere, surge statim!
Filius aut hominis quod possit, noscite: dixit:
Surge, tuum lectum tolle! redi q; domum!
Et citò surrexit jacuit prius artubus aeger
Qui, rursus potuit sanus abire domum.
Cernens turba Deum maclavit laude, potestas
Est homini data quod talis abiq; domum.
Morbus abest membris, animi peccata remissa.
Sic sanum sana mente cadaver habet.
Talia GERBERUS repetit: CORIARIUS esse,
Hospes cen Petri, pergat! & iste potest,
uti optat

GUEINZIUS.

Chri-

Christophorus Gerberus.

per anagram.

Christe resurgo probus.

COElica castra petis? surgas, seu surgere
iussus,

Surgit hic imbellis, quod pia Suada probat.
Nititur in Christum lecti pra mole gravatus,
Surgit is atq, probus, Christe, resurgo;
refere

Christe, resurgo probus: cātare, tonare, sonare

O cupis? in Christum nitere; sanus eris.

Ergo resurge cito: sic surgere perge monere,

Et, Gerbere, probus, Christe, resurgo: ca-
Ne simulata fides pitura, futura vicissim (nec.
Nescia mens dubii coelica castra capit.

Joh. Kelleri Zigel. March.

~~~~~

**M**ontibus in Marsis, artesq, Machaonis,  
herbas

Linqvito, nec Medicas sollicitato manus.

Magnus apud Danaos Podalirig arte medendi

Hic rudis es, medica & Phœbe repertor opis.

Colla Deo didicit submittere lurida morbus

Omnis, Apollineâ quod levat arte magis.

Nullus fit corii decor ut nî radere sordes

Cerdo velit: morbi causa levanda venit.

Ex textu docet hoc Gerberus, pergito! cerdo

Credo dabit, tua te salvet ut ipsa fides.

Johannes Andreas Buzer.



02 A 572  
(1/2)

ULB Halle 3  
003 808 483



1017






EVANG.

CHRIST

HALL


Q2 C





B.I.G.

Farbkarte #13



...TITIARUM  
**GELICARUM**  
*quisitio L.*  
 RÆSIDE  
**NO GUEINZIO**  
 ...nassii Hallensis  
 Rectore  
*spondente*  
**PHORO GERBERO**  
 ...abâ-Lusato.  
*IX. post Trinitatis.*  
*. cl. lxx. iiii.*  
 ...S SAXONUM  
*um Melchioris Oel-*  
*(schlegelij*

